

**1998-06-27 – SS Ioannes Paulus II – Constitutio ‘Francistaunensis’**

**IOANNES PAULUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM**

**CONSTITUTIO APOSTOLICA**

***FRANCISTAUNENSIS\****

**IN BOTSUANA NOVUS CONDITUR VICARIATUS  
APOSTOLICUS FRANCISTAUNENSIS**

Ad aptius consulendum evangelizationis operi in Botsuana, ubi in praesens dioecesis Gaboronensis tantum exstat, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, omnibus mature perpensis habitoque faventi voto eorum quorum interest, censuerunt ibidem novum Vicariatum Apostolicum esse condendum. Nos igitur, qui gravissimo fungimur munere Pastoris et Patris universi populi Dei, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate sequentia decernimus. A dioecesi Gaboronensi separamus territorium districtuum civilium nuncupatorum Central, Chobe, Gantsi, Ngamiland et North-East atque eo constituimus Vicariatum Apostolicum *Francistaunensem*, quem sollicitis curis Societatis Verbi Divini concredimus. Haec insuper omnia perficienda committimus Venerabili Fratri Emmanueli Monteiro de Castro, Archiepiscopo titulo Beneventensi atque in memorata Natione Delegato Apostolico, onere imposito authenticum exemplar actus peractae executionis ad Congregationem, quam diximus, remittendi. Hanc denique Nostram Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus haudquaquam obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo septimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nonagesimo octavo, Pontificatus Nostri vicesimo.*

ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status*

JOSEPHUS card. TOMKO  
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*  
Tharsicius Nardi, *Protonot. Apost. s.n.*

---

\*A.A.S., vol. XC (1998), n. 11, pp. 830-831